

LECTIONES TULLIANAE.

SCRIPSIT

W. G. PLUYGERS.

(*Continuantur e Mnemosynes Vol. IX. pag. 323*).



C A P U T X.

ORATIO PRO L. MURENA.

§ 18. "Quaesturam una petuit et sum ego factus prior." "Non est respondendum ad omnia. Neque enim vestrum quemquam fugit, cum multi pares dignitate fiant, unus autem primum solus possit obtinere, non eundem esse ordinem dignitatis et renuntiationis; propterea quod renuntiatio gradus habet, dignitas autem est persaepe eadem omnium." Cum Bakio scripsi "habet" et "est" persaepe." Vid. *Mnemosynes* IX. p. 222. Ab eodem viro clarissimo ibidem p. 229 de verbis "unus autem primum solus possit obtinere" disputatur: quae sine dubio corrupta sunt. Quamquam de sententia satis constat. Cicero significare voluit, cum plures fiant, unum tantum posse primum renuntiari. Sed alia me in hoc loco adverterunt, cuius mihi videtur argumentatio, ut vere dicam, puerilis et subinepta. Nam cum multi fiunt qui omnes inter se pari dignitate sint (hoc autem significat "multi pares dignitate"), quid mirum non eundem esse dignitatis ordinem, qui inter pares nullus est, et renuntiationis, quae propter rei naturam gradus non habere non potest? Sed alio quoque

modo contra sanam rationem legesque cogitandi peccatur. Nam toti argumentationi casus certus supponitur, fieri multos qui omnes parem habeant dignitatem. Id autem si evenit non *persaepe*, sed semper eadem omnium est dignitas. Contra quod ultimo loco ponitur, „propterea quod — dignitas — est persaepe eadem omnium,” ad generalem hypothesisin „multos fieri” accommodatum est, non ad specialem „multos pares dignitate fieri.” Verba *pares dignitate* delenda videntur.

§ 21. „Apud exercitum mihi fueris” inquit „tot annos? forum non attigeris? afueris tam diu, et cum longo intervallo veneris, cum his, qui in foro habitarint, de dignitate contendas?” Pronomen *hi* certos homines spectat, Murenae competitores puto; quamobrem legerim *habitarunt*. Si quis in talibus librorum auctoritatem requirit Vossianum (F. 91) sponsorem habeat.

§ 26. Quoties hunc locum, quo sermo forensis lepidissime traducitur, perlegi, requisivi quid esset, quare praetorem iure consulti qui formulas composuerint pulcrum se ac beatum habiturum suspicarentur, nisi ei quoque carmen ab ipsis esset compositum. Nempe si, ceteris formula quasi constrictis, ipse aliquid sua sponte loqueretur. Itaque lenissima mutatione legerim: „Praetor interea ne pulcrum se ac beatum putaret *qui* aliquid ipse sua sponte loqueretur, ei quoque carmen compositum est.” Librorum lectio *atque* nata est ex pronomine et ultimis litteris praecedentis „putaret.”

§ 27. „Iam illud mihi quidem mirum videri solet, tot homines tam ingeniosos per tot annos etiam nunc statuere non potuisse, utrum diem tertium an perendinum, iudicem an arbitrum, rem an litem dici oporteret.” *Etiam nunc* requirit „post tot annos.”

§ 28. „Etenim quae de scripto aguntur scripta sunt omnia, neque tamen quidquam tam anguste scriptum est, quo ego non possim” qua de re agitur „addere.” Veram lectionem Fors Fortuna benigne nobis offerre videtur, quae fecit ut per

felicem librarii incuriam particula *tamen* a libro Helmstadtensi absit. *Tamen* ortum videtur ex proximo *tam*, quod per errorem in archetypo bis positum esset.

§ 50. „In Catilinae oratione domi ad coniuratos habita haec fuisse dicebantur: miserorum fidelem defensorem inveniri non posse, nisi eum qui ipse miser esset: „integrorum et fortunatorum promissis saucios et miseros credere non oportere: quare qui consumta replere, erpta recuperare vellent, spectarent quid ipse deberet, quid possideret, quid auderet: minime timidum et valde calamitosum esse oportere eum, qui esset futurus dux et signifer calamitosorum.” Vix puto in hac compositione verborum Ciceronem adiecisse „quid possideret,” in qua „minime timidum” refertur ad praecedens „quid auderet,” „valde calamitosum” ad „quid deberet.” Ut sententia constet „quid deberet quid possideret” artissime coniungenda sunt, ut pro uno membro sint in oratione. Sed ita quasi ad calculos vocari coniurati videntur, ut cum inspectis tabulis cognovissent quanto expensa Catilinae accepta superarent, ita demum quid is deberet spectarent. Sed haec eiusmodi sunt, ut aliter sentientem argumentis ad suam sententiam pertrahere sperare non licet. Verum supra „consumta replere” suspiciosum est. Repletur id quod, cum pars interriit, ad iustum numerum, modum, restituitur, ut legio, exercitus; consumta vero, quae et tota perierunt neque habent certum numerum aut modum, repleri non possunt. Scripserim „consumta reparare” ut Verr. III. 199. „illud erat solarium, quod id perdere videbatur quod alio praetore eodem ex agro reparare posset.”

§ 79. „Quaeris a me quid ego Catilinam metuam. Nihil: et curavi ne quis metueret.” Si rogatur: quid Catilinam metuis? in respondendo causa metus exponenda est. „Nihil,” quod hic respondet, non ad causam pertinet, sed ad modum metus defniendum; ultimum locum obtinet in gradatione quam ita proponere libet: magnopere metuere, non valde metuere, nihil metuere; quorum priora, „magnopere” et „non valde metuo,” post hanc interrogationem non mi-

nus inepta essent quam, "nihil metuo." Legendum est nisi fallor "ecquid ego Catilinam metuam."

§ 84. "Mihi credite, iudices, in hac causa non solum de L. Murenae, verum etiam de vestra salute sententiam feretis. In discrimen extremum venimus: nihil est iam unde nos reficiamus aut ubi lapsi resistamus." Et sententia et verborum compositio arguit ante "reficiamus" excidisse participium." Sententia ferret "unde *fracti* nos reficiamus." Meliora fortasse et certiora excogitabunt alii. Hoc unum teneo participium abesse non posse.

§ 89. Misera Murenae sors si damnatus sit deploratur: "Ibit igitur in exilium miser. Quo? ad Orientisne partes —? An se in contrariam partem terrarum abdet, ut Gallia Transalpina, quem nuper summo cum imperio libentissime viderit, eundem lugentem, maerentem, exulem videat?" "Libentissime" corruptum est, quod pertinet ad Gallorum animum studiumque definiendum, quo Murenam in provincia prosecuti sint. Ipsius Murenae cum in Gallia esset conditionem respexisse oratorem sequentia ("lugentem, maerentem, exulem") demonstrant. Sententiae satisfacit neque est nimis a tradita lectione remotum: "quem nuper summo cum imperio *florentissimum* viderit."

ORATIO PRO M. CAELIO.

§ 12. Summa arte Cicero eiusmodi Catilinae imaginem proponit quae causae et reo prodesse posse videatur. In quo loco haec leguntur: "Neque ego umquam fuisse tale monstrum in terris ullum puto, tam ex contrariis diversisque et inter se pugnantibus naturae studiis cupiditatibusque conflatum." Sunt qui in hominum naturam inquirentes cuiusque studia et cupiditates ita cum ipsius indole connata et coniuncta esse doceant, ut sint ea extra voluntatem posita et naturae magis tribuenda quam homini; verum in populari iudicio ac sermone sunt ea voluntatis atque a naturae necessitate segregata.

Itaque a causa forensi aliena sunt „naturae studia cupiditatesque,” quae in disputatione scholastica fortasse locum tueri possent. Hic igitur Ciceronem scripsisse arbitror „monstrum tam ex contrariis diversisque et inter se pugnantibus *naturis*, studiis cupiditatibusque conflatum.” Ita Chimaerae, Sphingis, Scyllae, aliorum monstrorum imagines aptissime mentibus proponuntur, quorum sicut corpora ex diversis naturis essent conflata, ita Catilinae ingenium. Mox (§ 14) de eadem re dicitur: „hac tam varia multiplice natura.”

§ 16. Caelius Atratinum iterum ambitus accusarat. „Quod quamquam nec sapienter et me invito facit, tamen est eiusmodi cupidus, ut magis insectari alterius innocentiam, quam de se timide cogitare videatur.” Ex superiore aliqua lectione in margine libri mei adscriptum reperio „*cupide ut magis*.” Video nunc iudicare Madvigium Ciceronem, si quid addidisset, id ipsum scripturum fuisse: sed nihil addidisse videri. Quamquam contra hanc auctoritatem vix sententiam meam teneo, traiectio tamen adverbii, quaे summi viri suspicionem movet, mihi quidem hoc loco necessaria videtur; nam in alio verborum ordine „*ut cupide magis*,” *magis*, quod ad totum enunciatum pertinet, necessario ad unum trahitur adverbium quod praecedit; neque idem *magis* adverbium *cupide* post se patitur, ne *magis cupide* contra sententiam pro comparativo videatur esse positum. Itaque librorum *cupidus* ita retinendum esse videatur, ut corrigatur „*cupide ut magis* insectari — videatur.”

§ 21. Prodibunt testes qui querentur uxores suas a Caelio contumeliose tractatas esse. „Funguntur officio, defendant suos, faciunt quod viri fortissimi solent: laesi dolent, irati efferuntur, pugnant lacessiti.” In hac re unice verum puto „*repugnant lacessiti*.” Cf. ad Fam. V. 2. § 10, ubi Cicero postquam Metello Celeri, qui ob oppugnatum fratrem cum eo de deserto officio conquestus erat, demonstravit quibus ipse iniuriis esset a Nepote lacessitus, postremo quid de ea re sentiret breviter comprehendens: „quare” inquit „non ego oppugnavi fratrem tuum, sed fratri tuo repugnavi.”

ORATIO PRO L. CORNELIO BALBO.

§ 25. „Qui (scil. Gaditani) si suis decretis legibusve sanguinibus, ne quis suorum civium castra imperatorum populi Romani iniret, ne quis se pro nostro imperio in periculum capitatis atque in vitae discrimen inferret, Gaditanorum auxiliis, cum vellemus, uti nobis liceret, privatus vero ne quis vir et animo et virtute praecellens pro nostro imperio periculo suo dimicaret, graviter id iure ferremus, minui auxilia populi Romani, debilitari animos fortissimorum virorum, alienigenarum nos hominum studiis atque privata virtute privari.” Optimorum librorum lectionem „Gaditanorum auxiliis cum vellemus uti nobis *non* liceret” interpolatione liberavit Madvigi, Opusc. acad. II. p. 26. Sed apud eundem Oxonienses libros eatenus inter se conspirare video, ut *uti* post *auxiliis* exhibeant. Hinc nata est mihi suspicio et meliores libros et deteriores partem dumtaxat verae lectionis servasse. Nam in eiusmodi sententia qualis est „Gaditanorum auxiliis cum vellemus uti nobis liceret, privatus viro ne quis — dimicaret,” quae partim est negativa, particula positiva, praesertim post negationes (*ne quis — ne quis —*) quae praecedunt, abesse non posse videtur. Itaque lego: „Gaditanorum auxiliis *uti*, cum vellemus, *uti* nobis liceret, privatus vero ne quis — dimicaret.” Quamquam non absurdum foret Oxoniensium librorum lectionem casui tribuere et librariorum incuriae. Fieri enim potest, ut omnes libri qui supersunt in vetustissimi cuiusdam libri vitio propagando conspirent, in quo libro ante verbum *uti* particula *ut* omissa fuerit: G. a. c. vellemus *ut* uti nobis liceret” etc.

§ 27. Ius mutandae civitatis exponitur, quod non solum in legibus publicis positum sit, sed etiam in privatorum voluntate. „Iure enim nostro neque mutare civitatem quisquam invitus potest neque, si velit, mutare non potest, modo adsciscatur ab ea civitate cuius esse se civem velit: ut si Gaditani sciverint nominatim de aliquo cive Romano, ut sit is civis Gaditanus, magna potestas sit nostro civi mutandae civitatis nec foedere impediatur, quo minus ex cive Romano

civis Gaditanus possit esse. Duarum civitatum civis noster esse iure civili nemo potest: non esse huius civitatis, qui se alii dicarit, potest: neque solum dicatione — sed etiam postliminio potest civitatis fieri mutatio." Quae disputatio mihi quidem obscura videtur, cum duo capita illius iuris proponi intelligo, alterum: invitum neminem aut amittere aut retinere civitatem; alterum: duarum civitatum neminem esse posse civem; sed solum prius caput explicari video ("neque solum dicatione" etc.), ita quidem ut explicatio ad alterum caput (Duarum civitatum — dicarit potest") adhacreat, et pertinere videatur quo non pertinet. Unum caput Ciceronem proposuisse suspicor: "Iure enim nostro — cuius se civem esse velit." Tum ius exemplo ex ipsa causa petito illustrat: "ut si Gaditani — possit esse." Sequitur explanatio eorum quae ultimo loco posita sunt, *mutandae* civitatis esse potestatem, et neminem impediri quominus *ex* cive Romano fiat civis Gaditanus: "Duarum civitatum — dicari potest." Inde ad propositam explicationem redit oratio et quibus modis praeter dicationem fiat civitatis mutatio exponitur. Itaque legerim "ut — magna potestas sit nostro civi mutandae civitatis nec foedere impediatur, quo minus *ex* cive Romano civis Gaditanus possit esse; duarum *enim* civitatum [civis noster] esse iure civili nemo potest: non esse huius civitatis qui se alii civitati dicarit potest. Neque solum dicatione" etc.

§ 29. Praeterea exponitur quid inter ius civile Romanum et ceterarum civitatum instituta intersit, quarum iure concessum esset eundem hominem plurium civitatum civem esse. "Itaque in Graecis civitatibus videmus Athenis Rhodios Lacedaemonios, ceteros undique adscribi, multarumque esse eosdem homines civitatum. Quo errore ductos vidi egomet non nullos imperitos homines, nostros cives, Athenis in numero iudicum atque Areopagitarum certa tribu, certo numero, cum ignorarent, si illam civitatem essent adepti, hanc se perdidisse, nisi postliminio reciperassent. Peritus vero nostri moris ac iuris nemo umquam, qui hanc civitatem retinere vellet, in aliam se civitatem dicavit." Et "in Graecis civitatibus homines undique adscribuntur" recte

dicitur, et „Graecis civitatibus.” Utraque syntaxis rem eandem proponit, sed aliter mente conceptam. Nam in altera inest significatio loci ubi adscribatur ipsumque adscribendi verbum absolute ponitur; in altera loci significatio abest, sed inest designatio rei ad quam adscribatur. In principio verborum quae apposui „Athenis” habet sine dubio significationem localem; nam „Athenis, Lacedaemoni, Rhodo adscriptus sum” eodem sensu dici posse quo „Atheniensium, Lacedaemoniorum, Rhodiorum civitati adscriptus sum” nemo contendet, opinor. Ergo de loco nostro sic statuendum est: primum totum genus Graecarum civitatum ponitur, quod in capite iuris civilis de quo agitur diversum a Romano more institutum sequatur; tum quod laxius et generaliter esset propositum certis iisque artioribus finibus circumscribitur: Athenarum civitatem esse in quo fiat id quod in Graecis civitatibus fieri dictum est. Verum ita contra rei veritatem disputatur. Nam in hac compositione Athenarum civitas non est pro exemplo, in quo spectetur quid in cunctis Graecis civitatibus fiat, sed declaratur quodammodo Athenis dumtaxat id fieri, non alibi. Nihil enim adiectum est, quod hanc non esse sententiam oratoris declareret. Constat autem ubique in Graecia multos undique adscribi fuisse solitum. Ergo mihi quidem necessarium videtur corrigere: „Itaque in Graecis civitatibus videmus Athenienses, Rhodios, Lacedaemonios, ceteros undique adscribi.” Haec lectio alio quoque modo firmari posse videtur. Etenim continuo post verba de quibus agimus haec sunt: „quo errore ductos vidi egomet nonnullos — Athenis in numero iudicum” etc. In hac Athenarum mentione, si esset ex superioribus repetita, Cicero scripsisset aut „ibidem” aut „in eadem Athenarum civitate” aut simile quid.

Verum haec videant grammatici; iuris consulti praeterea velim hunc locum accuratius tractent, et indagent verene hoc loco Cicero posuerit, qui sua voluntate civitatem Romanam amiserit atque se in aliam civitatem dicarit, eum postliminio reciperare civitatem Romanam. Evidem nullum novi locum ex quo confici liceat hoc beneficium iuris civilis ulli fuisse concessum, nisi qui vi ab hostibus aliquamdiu retentus postea ex captivitate in patriam redisset. Hoc adeo

constat, si qui captivus de quo ut rediret cautum in pace fuisse sua voluntate apud hostes mansisset, huic non esse postea postliminium iure consultos pronuntiare (Dig. XLIX, 15, 20). Sed de tota hac re videant iuris periti, qui nisi demonstraverint postliminium etiam ad eos pertinere qui ulti civitatem deposuissent, sequetur ut verba "nisi postliminio reciperassent" insiticia esse iudicemus. Nam quis hoc loco, quo de ipso iure disputatur, hac exceptione uti vellet, ut contuleret aut errasse Ciceronem, quod turpe, aut improprie locutum esse, quod ridiculum esset. Suspicor "nisi postliminio reciperassent" ad "si illam civitatem essent adepti" adscripsisse aliquem qui putaret privilegium de Publicio Menandro latum (§ 28) ad ceteros omnes cives Romanos qui in eadem conditione qua ille versarentur pertinere; ex qua opinione sequeretur, ut qui captivus apud Romanos manu missus esset, si in patriam reversus postliminio antiquam civitatem reciperasset, Romanam is tamen civitatem retineret.

§ 45. "Quos igitur prudentissimos interpretes foederum, quos peritissimos bellici iuris, quos diligentissimos in inquadratis conditionibus civitatum atque causis esse arbitramur? Eos profecto qui iam imperia ac bella gesserunt." Particula *iam* inepit interponitur. Sententia haec est: summa iuris gentium peritia est penes homines militares, "imperatores nostros" ut infra appellantur, non penes togatos. Quam sententiam *iam* ita pervertit, ut peritissimi foederum dici videantur qui summum imperium iam tenuerunt, non vero ceteri homines militares qui sub aliorum auspiciis totam vitam inter externas nationes versati essent. Itaque, nisi deletur *iam*, oppositio inter milites et togatos, quam orator in mente habebat, contra eius sententiam ad gradus militares transferri videtur. *Iam* ortum est ex sequenti *im*.

§ 46. "Possumusne igitur tibi probare auctorem exempli atque facti illius quod a te reprehenditur C. Marium? quaeris aliquem graviorem, constantiorem, praestantiorem virtute,

prudentia, religione?" Ita rogat qui ab adversario lacessitus alium quempiam propositurus est Mario etiam praeferendum. Lego. "Possumusne — tibi probare — Marium, *an* quaeris aliquem graviorem?" etc.

ORATIO IN L. PISONEM.

§ 38. "Appellatus est hic vulturius illius provinciae, si dis placet, imperator. Ne tum quidem, Paule noster, tabellas cum laurea Romam mittere audebas." Omnes libri optimi deterrimi "Romam" eo loco exhibent ut ex margine nomen illatum esse non dubites ("tabellas Romam cum laurea"). In lemmate Asconiano ordo verborum non reprehendendus est; itaque hanc auctoritatem editores secuti, "Romam" retinuerunt. Perperam, ut videtur. Cicero scribens: "ne tum quidem — tabellas cum laurea mittere audebas" de senatu cogitabat, ut sequentia demonstrant: "Misi," inquit. "Quis umquam recitavit? quis ut recitarentur postulavit?" etc. Vides non per immensam Urbem oratoris mentem vagari sed in curia haerere.

§ 68. In eleganti et perurbana narratione qua Philodemi et Pisonis familiaritas suaviter traducitur pauca et exigua quaedam melius constitui posse videntur. In "Is cum istum adolescentem iam tum hac dis irata fronte vidisset, non fastidivit eius amicitiam, cum esset praesertim appetitus:" *iam tum* non habet quo referatur. Praeterea "Videre aliquem hac fronte" parum Latine dici videtur: itaque ut olim Or. de lege agrar. II. § 93. "hunc Capuae *cum* Campano supercilio — *cum* videremus" correxi, sic hoc loco scribendum puto "Is cum istum adolescentem iam *cum* hac dis irata fronte vidisset." Eo quoque dicit librorum nonnullorum lectio "adolescentem iam tum *cum* hac" in qua *tum cum* eiusdem vocabuli repetita scriptura est. Eiusdem erroris exemplum est pro Rabir. Post. § 35: "si verum *tum cum*

severissima fronte dixerunt," quem errorem correxit Madvigius.

Sequentibus: "Audistis profecto dici philosophos Epicureos omnes res, quae sint homini expetendae, voluptate metiri. Rectene an secus, nihil ad nos: aut si ad nos, nihil ad hoc tempus; sed tamen lubricum genus orationis adolescenti non acriter intelligenti est saepe praeceps," continetur Ciceronis de Epicureorum philosophia ad causam accommodatum iudicium, veram fortasse esse doctrinam, sed disceptationem adolescenti periculosam esse. Itaque restituendum est: "sed tamen lubricum genus orationis — et saepe praeceps." Nam non hoc agit orator ut demonstret rem lubricam adolescentibus saepe esse praecipitem, sed illam disceptationem esse rem lubricam.

Sequitur in § 70: "Devenit autem seu potius incidit in istum eodem deceptus supercilio Graecus atque advena, quo tot sapientes et tanta civitas." Immensum civium Romanorum commemorare numerum non est huius loci. Praestare puto "quo tot sapientes et *tota* civitas." Cum maiore vi oratoris sententia proponitur, si advena eodem errorem captus esse dicitur qui cives tenebat universos.

§ 72. "Non illa tibi" inquit "invidia nocuit, sed versus tui." Nimis magna poena te consule constituta est sive malo poetae sive libero. "Scripsisti enim: *cedant arma togae*" Quid tum? "Haec res tibi fluctus illos excitavit." At nusquam opinor scriptum fuisse in illo elogio, quod te consule in sepulcro rei publicae incisum est: "velitis iubeatis, ut, quod M. Cicero versum fecerit," sed "quod vindicarit." Cum Bakio nonnullorum librorum: "non ulla tibi — invidia nocuit" retinendum puto. Praeterea in hac brevi et concisa oratione simulatae altercationis praetulerim: "At hoc nusquam, opinor, scriptum fuit in illo elogio" etc.

§ 82. Piso Ciceroni obiecerat quod secum configeret quem despiceret, non attingeret eos qui plus possent, quibus iratus esse deberet, Pompeium significans Caesaremque. Cicero

respondet quod potest, quem locum ita concludit: «Sed cum (Caesar) me expetat, diligit, omni laude dignum putet, tu me a tuis inimicitiis ad simultatem revocabis? sic sceleribus tuis reipublicae praeterita fata refricabis.» Aliis iam displicuit «ad simultatem» sine adiectione positum: itaque coniecerunt alias «ad simultatem C. Caesaris,» alias «ad illius s.» aut «ad s. cum illo.» Qui lacunam ita explere conati sunt oppositionem quaesiverunt cum proximis «a tuis inimicitiis.» Sed ad sequens membrum attendendum erat, quod nostro loco respondet eique explicationem adiunget, in quo nulla est oppositio inter «tua sclera» et «rei publicae praeterita fata.» Quem ad modum igitur orator «praeterita fata» generaliter proposuit, sic Caesaris, sive per nomen, sive per pronomen, commemorationem ab hac sententia alienam puto. Crediderim potius hic quoque in genere positum fuisse: «tu me a tuis inimicitiis ad *depositam* simultatem revocabis? sceleribus tuis reipublicae praeterita fata refribabis?» nam *sic ex dittographia ortum* videtur.

In sequentibus genus dicendi imperfectum aliumque exitum habens, quam propter initium exspectatur, immerito corruptionis suspicionem movit. Locus ita distinguendus videtur. «Quod quidem tu, qui bene nosses coniunctionem meam et Caesaris, eludebas, cum a me trementibus omnino labris, sed tamen, cur tibi nomen non deferrem requirebas — quamquam, quod ad me attinet, numquam istam imminuam curam infitiando tibi, tamen est mihi considerandum, quantum illi tantis rei publicae negotiis tantoque bello impedito ego homo amicissimus sollicitudinis atque oneris imponam: nec despero tamen, quamquam languet iuventus nec perinde atque debebat in laudis et gloriae cupiditate versatur, futuros aliquos qui abiectum hoc cadaver consularibus spoliis nudare non nolint, praesertim tam afflito, tam inopi, tam infirmo tam enervato reo. Qui te ita gesseris, ut timeres ne indignus beneficio videreris, nisi eius a quo missus eras simillimus extitisses. An vero tu parum putas investigatas esse a nobis labes imperii tui stragesque provinciae?» etc. Sententia oratoris breviter ita proponam: «quod tu requirebas, cur nomen tuum non deferrem, etsi ipse propter coniunctio-

nem Caesaris fortasse non faciam, tamen spero fore aliquos qui te accusent." Sed oratio in "requirebas" a recta via deflectit; nam apodosis continetur verbis "nec despero — tam enervato reo." Haec autem ita comprehensa sunt, ut non ad periodi principium, quo revera pertinent, sint accommodata, sed interpositae sententiae "quamquam — imponam" adiungantur. Sed in postrema parte huius loci quis non sentit post egregiam vim contemtionis, quae in "abiectum hoc cadaver" inest, infeliciter adiectum esse, quisquis adiecit, "praesertim tam afflito, tam inopi, tam infirmo, tam enervato reo." Vivila abiecti cadaveris imago his verbis obruta evanescit. Ciceroni haec non excidisse vellem alicunde constaret.

§ 86. In eodem loco de criminibus quae futurus aliquis Pisonis accusator afferre possit legitur: "Nonne sestertium centiens et octogiens, quod quasi vasarii nomine in venditione mei capit is adscripseras, ex aerario tibi attributum Romae in quaestu reliquisti?" In quibus *quasi* abundat, ortum ex compendio pronominis quod praegreditur et primis nominis *vasarii* elementis. *Quasi vasarium* et *nomine vasarii* aliquid attribuere, adscribere, prorsus idem significant. Piso accessiōinem pretii quam pactus erat nomine vasarii tegebatur.

§ 87. "Quid ego rerum capitalium quaestiones, reorum pactiones, redemptiones, acerbissimas damnationes, libidinosissimas liberationes proferam? tantum locum aliquem cum mihi notum esse senseris, tecum ipse licebit, quot in eo genere et quanta sint crimina recordere." Suspicor scriendum esse: "tantum locum *aliquatenus* cum mihi notum esse senseris." Eadem sententia mox (§ 94) aliis verbis proponitur: "non dubito quin, cum haec, quae excellunt, me nosse videas, non existimes medium illam partem et turbam flagitorum tuorum mihi esse inauditam."

§ 90. Multa enumerantur quae Piso in provincia contra legem Iuliam fecerat "quorum nihil est, quod non sit lege Iulia ne fieri liceat sancitum diligenter." Non assentior

Halmio verba "ne fieri liceat" ab interpolatore adiecta esse censenti. Oratio eiusmodi est ut verbum licere abundare videatur; cuius generis plura me observare memini, quorum partem ad Verr. Libr. II. § 45 expromsi. Illis nunc pauca adiiciam: Or. pro Tullio § 47: Lex XII tabularum "quae permittit, ut furem noctu liceat occidere." Ibid. § 50. "qui ne hoc quidem permiserint ut — caput suum ferro defendere liceret." Or. de leg. agr. II. § 35. "datur iis ut liceat ea vendere omnia." Eiusdem generis est Or. de leg. agr. I. § 7: "Hic permittit sua lege decemviris — ut in qua velint solidudine bona populi Romani possint divendere." In quo loco non magis me movet unius libri auctoritas ut pro "possint divendere" *vendant* legam, quam in Pisoniana librorum discrepantia "ne fieri liceat" et "ne fieri possit" ut haec interpolata esse iudicem.

§ 91. Piso antequam in Italiam traiecit Dyrrachii milites dimisit. De qua re Cicero § 96: "si qui ex tanto exercitu *reliqui* milites exstant non dimissi a te sed dissipati;" et § 98: "*reliqui* milites qui ferrum, qui famem, qui morbum effugerunt." Itaque aperta est causa cur Piso legiones deportare noluerit. Verebatur ne ex diminuto militum numero clades exercitus et calamitosi belli eventus ab oīnibus cognosceretur. Ergo § 91 legendum est: "Hoc tu in exitu, praeclare imperator, cum tibi ad pristinas clades accessio fuissest Aetoliae repentinus interitus, exercitum dimisiisti, neque ullam poenam quae tanto facinori deberetur, non maluisti subire quam numerum tuorum militum reliquiasque *cognosci*" pro *cognoscere*.

§ 95. "Bis Catilina absolutus est; emissus etiam ille auctor tuus provinciae, cum stuprum Bonae deae pulvinaribus intulisset. Quis fuit in tanta civitate, qui illum incesto liberatum — arbitraretur?" Iterum requiro "in *tota* civitate."

§ 96. "An ego exspectem, dum de te quinque et septuaginta tabellae diribeantur, de quo iam pridem omnes mortales omnium generum, aetatum, ordinum iudicaverunt? Quis

enim te aditu, quis ullo honore, quis denique communi salutatione dignum putet? Omnes memoriam consulatus tui, facta, mores, faciem denique ac nomen a re publica detestantur." Enumerantur facta quaedam quae palam faciant quid mortales omnes iudicaverint. Ergo legendum est: "Quis — te — communi salutatione dignum *putat*?"

ORATIO PRO C. RABIRIO POSTUMO.

Interest aliquantum utrum interrogatio *quid?* sententia interrogativa comprehendatur, an per se efferatur, sequente alia interrogatione. Ad hoc genus pertinet § 16. "M. Druso novam in equestrem ordinem quaestionem ferenti *si quis ob rem iudicandam pecuniam cepisset*, aperte equites Romani restiterunt. Quid? hoc licere volebant? minime; neque solum hoc genus pecuniae capienda turpe, sed etiam nefarium esse arbitrabantur." Sed perperam *quid* a sequenti interrogatione segregatur § 14: "Quid? vos, equites Romani, quid tandem estis acturi?" et § 6: Quid? ego senatum defendam hoc loco iudices?"

§ 17. "Nos (equites) ista (honores) numquam contempsimus — sed hanc vitam quietam atque otiosam seuti sumus; quae quoniam honore caret careat etiam molestia." "Tam es tu iudex quam ego" "Ita est etc." In interpellatione iudicis senatoris dueae litterae retrahendae sunt: "At tam es tu iudex quam ego."

§ 20. "Sed tamen cum ita dicis Postumi impulsu Gabiniū profectum Alexandriam: si defensioni Gabinii fidem non habes, obliviscerisne etiam accusationis tuae?" "cum — Alexandriam" sequentis protaseos pars est. Verba ita transponere possis: "si, cum ita dicis Postumi impulsu Gabiniū profectum Alexandriam, defensioni Gabinii fidem non habes, obliviscerisne etiam accusationis tuae?" Ergo sententia post Alexandriam non aliam interpunctionem admittit quam mi-

nimam. Cf. pro Plancio § 13: „quam petitionem cum reliquisses, si hoc indicasti tanta in tempestate te gubernare non posse, de virtute tua dubitavi, si nolle, de voluntate.”

§ 32. Facit incerta fides librorum qui hanc orationem tradunt, ut iure possit dubitari an a Cicerone in tam brevi spatio et in hac compositione, quae nihil eiusmodi requirit, idem verbum quater sit positum in: „Solet is dicere in eum qui pecuniam rededit, qui in illum cuius nomine ea pecunia redigeretur non dixerit? Age si is qui non dixit [solet], etiamne is [solet] qui laudavit? Isdem testibus — quasi praeiudicata res ad has causas deferri solet.”

§ 34. In Rabirium testes erant prodituri idem legati Alexandrini qui Gabinium non solum non laeserant, sed etiam laudarant. „Quod habent os! quam audaciam! modo vobis inspectantibus in iudicio Gabinii tertio quoque verbo excitabantur: negabant pecuniam Gabinio datam.” *Modo* non magis hoc loco quam § 36 („dixerunt hic modo nobiscum ad haec subsellia quibus superciliis renuentes huic decem milium criminis!”) potest aliter accipi, quam de iudicio Gabinii. Itaque adducor fere, ut „in iudicio Gabinii” interpolata credam. Suspectus est verborum ordo; „modo” et „in iudicio Gabinii” non disiungenda erant.

§ 36. „Ubi semel quis peieraverit, ei credi postea, etiam si per plures deos iuret, non oportet, praesertim, iudices, cum in his iudiciis ne locus quidem novo testi soleat esse, ob eamque causam idem iudices retineantur, qui fuerint de reo, ut iis nota sint omnia neque quid fingi novi possit.” Pro „neque quid” legitimum est „neve quid.” Praeterea non videntur idem iudices sedere, *ut* nota iis sint omnia, sed *quia* ex iudicio totam causam compertam habentes, nova crimina quae afferantur, tamquam a causa de qua iudicent remota et aliena, repellere possunt. Legendum videtur: „*ut, cum* iis nota sint omnia; *ne* quid fingi novi possit.”
